

vigor constitit? Quanto magis huic invidendum est, quam illis quibus gemma ministratur, quibus exoletus omnia pati doctus, exsectae virilitatis, aut dubiae, suspensam auro nivem diluit? Hi quidquid biberint, vomitu remetientur tristes, et bilem suam regustantes: at ille venenum laetus et libens hauriet. Quod ad Catonem pertinet, satis dictam est: summamque illi felicitatem contigisse, consensus hominum fatebitur, quem sibi rerum natura delegit, cum quo metuenda collideret. «Inimicitiae potentum graves sunt?» Opponatur simul Pompejo, Caesari, Crasso. «Grave est, a deterioribus honore anteiri?» Vatinio postferatur. «Grave est, civilibus bellis interesse?» Toto terrarum orbe pro causa bona tam infeliciter, quam pertinaciter, militet. Grave est, sibi manus afferre? Faciat. Quid per hoc consequar? Ut omnes sciant, non esse haec mala, quibus ego dignum Catonem putavi.

IV. Prospera in plebem ac vilia ingenia deveniunt, at calamitates terroresque mortalium sub jugum mittere, proprium magni viri est. Semper vero esse felicem, et sine morsu animi transire vitam, ignorare est rerum naturae alteram partem. Magnus es vir: sed unde scio, si tibi fortuna non dat facultatem exhibendae virtutis? Descendisti ad Olympia: si nemo praeter te, coronam habes, victoriam non habes. Non gratulor tanquam viro forti, sed tanquam consulatum praeturamve adepto. Honore auctus es. Idem dicere et bono viro possum, si illi nullam occasionem difficilior casus dedit, in qua una vim sui animi ostenderet. Miserum te judico, quod nunquam fuisti miser. Transisti sine adversario vitam. Nemo sciet, quid potueris: ne tu quidem ipse. Opus est enim ad notitiam sui, experimento. Quod quisque posset, nisi tentando non didicit. Itaque quidam ultro se cessantibus malis obtulerunt, et virtuti iturae in obscurum occasionem, per quam enitesceret, quaesierunt. Gaudent, inquam, magni viri aliquando rebus adversis, non aliter quam fortes milites bellis. Triumpho ego mirmillonem sub C. Caesare de raritate